Qua quidem infirmitate per dictos continue menses infiniti
homines tam senes quam iuvenes, viri et mulieres, maxime
vero mulieres iuvencule et adolescentule [r] communiter labo:
rabant, et pro toto illo tempore, per intervalla tamen hora:
rum et spacia, mirabili corporum suorum inquietudine po:
pulo lamentabile spectaculum prebuerunt. Nam domos et
mansiones proprias, notos et parentes deserentes vagabundi
per vicos et plateas oberrabant, et invicem se sociantes serta
et ligaturas ad modum coronarum capitibus inponentes
atque per manus se invicem tenentes tripudiabant fortiter
ad instar chorsanicum [s] in altum pedibus salientes, et rur:
sum brachiis a facie sursum in aera elevatis plausum ma:
nibus faciebant. Dehinc post longum tripudii et huius=
modi inquietudinis laborem precipiti cursu de loco ad locum
ferebantur, voces clamosas et horribiles emittentes, et sic
cum impetu super terram inhumaniter volutabant dolo:
res intrinsecos acerrimos pretendentes. Pro tunc [t] eorum
fol. 117'. proximi sive noti ipsorum ex more | custodiam observan:
tes compresserunt fortissime pedibus et manibus et
tota mole corporum suorum ventrem et umbilicum eo:
rundem, et hoc ipsum dictis pacientibus pro intermissione
passionis et remedio habebatur. Ad hec preterea homines
sic passionati extra quoque sue commocionis tempora

r) adolescule cod. s) ita cod. t) qustunc cod.